

pariter illum commemorarent, in quo libri isti, dictitante ad calamum Spiritu, conscripti sunt. Testor, quae reliquas uetustate facile superat, Versionem Syriacam. Haec in titulo Lucam Alexandriae, Ioannem Ephesi, utrumque Graece, Euangelium praedicasse refert. De Ioanne quidem facile id concedo, quem post reditum ex insula Pathmo, in quam relegatus a Domitiano erat, Antiochiae consedis- se, et ad confundendos Cerinthianos, rogatu Praesulum Asiaticorum, Euangelium conscripsisse, ex Eusebio, et Hieronymo constat. At enim quod Lucas Alexandriae scripserit, id gratis dicitur, donec idoneo quodam antiquitatis confir- metur testimonio. Fuit enim, quod nemo negat, comes Pauli indiuiduus, quem Alexandriae fuisse, aut diuiniore placita docuisse, nusquam legimus. Et quid obstat, quo minus credamus, uno tempore, et uno in loco, *εὐαγγέλιον*, et *Actus Apostolorum* a Luca esse confectos. Quod inde pro- babilitatis, opinor, consequitur speciem, siquidem *Actus*, ut supra monuimus, secundum historiam, a Luca consignatae, efficiunt librum. *Actus* autem Romae sunt conscripti, quod Hieronymus diserte affirmat, in *Cat. S. E. c. VII.* Versioni Syriacae iungo Arabicam. Nam quamuis ea sequiori demum aeuo confecta sit, tamen indicium praebet, quantum sem- per libertatis, in fingendis sacrorum librorum titulis, Eccle- siae sibi sumserint doctores. Illa, quod in subscriptionibus fecerat Syriaca, titulis, Matthaei iuxta et Marci Euangelio praefixis, inseruit, primum Ebraice, alterum latine scripsisse. Hoc uetustioribus ad unum fere omnibus contrariatur, quibus semper creditum fuit, Marcum Graece scripsisse. Fatetur id cum Maldonato Rich. Simonius, in *H. C. N. T. c. XI.* Illud uero Patrum, quos nominant, tueri sese aucto- ritatibus potest, quae cum magni alias fieri solent, mirum non est, quod inter eruditos inueniantur non pauci, qui Matthaeum Ebraice scripsisse credunt, aut iudicium saltem suum suspendunt. Quod si iterum dicendum, quod res est, uidetur mihi in Patres locum habere uulgatior illa *παρ- ομιλία*, oscitante uno, oscitat et alter. Papias primus fuit, qui

qui